Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26105
Copyright: Admont, Benediktinerstift



26

circuierunt ciuitatem. Percusserunt me. uulnerauerunt me. tulerunt pallium
meum. in custodes murorum. Adiuro uos filie ierusalem. si inueneritis dilectum
meum. ut nuntietis ei quia amore langueo. Qualis est dilectus tuus ex dilec
to o pulcherrima mulierum. Qualis est dilectus tuus ex dilecto. quia sic ad
iurasti nos. Dilectus meus candidus et rubicundus. electus ex milibus.
Caput eius aurum optimum. come eius sicut elate palmarum. nigre quasi corvus. Oculi
eius sicut columbe super riuulos aquarum. que lacte sunt lote. et resident iuxta
fluenta plenissima. Genere eius buxus eburnea. super lapides saphirum.
Bene illius sicut arole aromatum consite a pigmentarius. Labia eius lilia distil
lantia myrram primam. Manus illius tornatiles auree. plene iacinctinis.
Venter eius eburneus. distinctus saphiris. Crura illius columpne marmoree.
que fundate sunt super bases aureas. Species eius ut lybani. electus ut cedri.
Guttur illius suauissimum. et totus desiderabilis. Talis est dilectus meus.
et iste est amicus meus filie ierusalem. Quo abiit dilectus tuus. o pulcherri
ma mulierum. Quo declinauit dilectus tuus. et queremus eum tecum. Dilec
tus meus descendit in hortum suum ad aiuolam aromatum. ut pascat in hortis
et lilia colligat. Ego dilecto meo et dilectus meus mihi. qui pascit inter lilia.
Pulchra es amica mea suauis et decora sicut ierusalem. terribilis ut castrorum
acies ordinata. Auerte oculos meos a me. quia ipsi me auolare fecerunt.
Capilli tui sicut greges caprarum. que apparuerant de galaad. Dentes tui
sicut greges ouium. que ascenderunt de lauacro. omnes gemellis ferib. et ste
rilis non est in eis. Sicut cortex mali punici. sic gene tue absque occultis
tuis. Sexaginta sunt regine et octoginta concubine. et adolescentularum
non est numerus. Una est columba mea. perfecta mea. Una est matris sue.
electa genitricis sue. Viderunt illam filie sion. et beatissimam predicauerunt.
Regine et concubine. laudauerunt eam. Que est ista que progreditur quasi
aurora consurgens. Pulchra ut luna. electa ut sol. terribilis ut castrorum
acies ordinata. Descendi ad hortum meum. ut uiderem poma conuallis.